



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus X. De Supplenda Negligentia Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

citt. Simonetta q. 64. n. 2. Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 52. n. 4. & 16. & Cochier ad Reg. cit. Gloss. 19. n. 4.

120.

Neque huic obest; quod appositio manus Papæ non impediatur Ordinarios, quando ex ea resultat præjudicium Concordatorum, ut ex Puteo *Lib. 3. decis. 226. n. 14. & 15. idem Gonzalez n. 55.* notat; quia eò ipsò; quòd in manibus Papæ resignata beneficia vacent in Curia: & in hac vacantia per ipsa Concordata

reservata sint, ex tali resignatione orta affectio in Concordatorum præjudicium non resultat: sicut resultaret, si Alternativæ obnoxio, & in Ordinarii mensis yg. per obitum vacanti beneficio ad effectum collationis à Papa manus apponeretur.

Quare cum fulcris suis sponte corruit ratio tota, quæ nititur Engel; cum, ut dictum, beneficiorum non publicorum reservatio fundata sit in ipsis Concordatis.



TITVLVS X.

De Supplenda Negligentia Prælatorum,

Prælati aliquando non ipsas Ecclesias ac dignitates, sed eis duntaxat annexum officium atque administrationem dimittunt, & committunt negligentiam: de qua, non generatim in omnibus, sed in actu Pontificalium exercitio, in beneficiorum collatione & administratione Justitiæ, non tam puniendâ, quàm supplenda præfens Rubrica cum subjectis textibus procedit.

ARTICVLVS I.

De supplenda Negligentia in usu Pontificalium.

SUMMARIUM.

1. Referuntur præcipua insignia,
2. Et actus Pontificales.

3. Quorum præcipui,
4. Non tamen omnes, Episcopo eorum suam diocesim prohibentur.
5. Et aliqui raro, & non nisi ex gratia speciali:
6. Alii plerumque inferioribus Prælati permittuntur.
7. Abbatibus communi Jure prius Tonsuræ, Officiariatus & Lecturæ collatio:
8. Cateri actus solò privilegio continentur:
9. Cujusmodi præcipue sunt saltem populi Benedictio,
10. Alicubi Parochis permittitur:
11. Consecratio sacrorum vasorum:
12. Sacramentorum vestium & aliorum sacramentorum Benedictio:
13. Consecratio & Benedictio Altarium:
14. Benedictio monialium.
15. Vt Consuetudinis si non expressum Episcopi

actus Episcopis propriis Jure Divino,

16. Et alios etiam actus Pontificales:
17. Nisi illa privilegii aliquando obtinendi samâ suffulta:
18. Vel isti sine unctioe Chrismatica peragantur.
19. Ea tamen non exercent ante receptâ benedictionem Episcopale,
20. Cujus tamen defectum aliquando supplet Jus:
21. Cui simile privilegium Mendicantes habent.
22. Alicubi Abbates non recipiunt benedictionem ab Episcopo.

I. **O** Peræ pretium non modicum erit, si Suppletioni Negligentiæ, quæ in illorum usu committi solet, insignium & actuum Pontificalium, Episcopalis Ordinis prælati communi: Abbatibus verò & similibus inferiorum Ecclesiarum præfulibus aliis speciali Jure quandoque competentium, compendiarie quadam declaratio præmittatur.

Pontificalia itaque sive Episcopalia insignia dicuntur, quibus, communi Jure spectatò & seclusis privilegiis, soli Episcopi iisque superiores Ecclesiarum prælati utuntur: cujusmodi sunt Mitra sive, ut vulgò nuncupatur, Infula, Pedum seu baculus Pastoralis, annulus, sandalia, tunica, dalmatica, chirothecæ & crux pectoralis, Ascan. Tamburin. Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 20. q. 1. & Pignatell. Tom. 7. consult. 45. n. 16.

Pontificalium autem actuum nomine veniunt, quicunque de Jure proprii Ordinis Episcopalis, seu vi consecrationis suæ solis Episcopalis Ordinis prælati competentes: ut sunt collatio Ordinum & ipsius etiam primæ Tonsuræ, clericorum degradatio, benedictio Abbatum

& populi solennis, consecratio Ecclesiarum, altarium, vasorum sacròrum & Virginum, benedictio sacrarum vestium, corporalium & paramentorum: imò omnes actus sacerdotes, quatenus cum apparatu Pontificali, id est, mitra & baculo exercentur, Sairus Lib. 4. de Censur. cap. 16. n. 29. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 6. n. 5. & cit. Pignatell. consult. 7. n. 4. Ubi

Dubium est, an Pontificalium usus Episcopo licitus sit in aliena diocesi. Cum proprii istius Episcopi consensu seu licentia id ipsi permillum, res explorata est ex decreto S. Synodi Trident. Sess. 6. cap. 5. de Reformat. An sine hujusmodi consensu, dubitandi ratio oritur primò ex usu Pallii Archiepiscopo extra provinciã, & extra diocesin suam Episcopo palliato non permillum, c. 1. c. Ad honorè 4. c. Ex tuarum 5. de Auth. Pall. Secundò ex Tridentino, cujus cap. 5. cit. relatum decretum est: Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia. Tertio ex ratione; quia insignia & actus Pontificales non Ordinem duntaxat & dignitatem, sed jurisdictionem quoque denotant Episcopalem, maxime si solennis benedictio accedat. Quibus accedit praxis Germaniæ nostræ, in qua neque Episcopi in aliena diocesi, neque Abbates & similes Prælati inferiores in ejusdem diocesis Ecclesiis sibi non subiectis, sine proprii istarum Prælati licentia, in Pontificalibus celebrare solent, teste Laiman in c. fin. de Auth. Pall. n. 2. ubi cum Innocentio & Panormit. in c. cit. n. 4. id de Jure asserit arg. c. Abbates 3. de Privileg. in 6. Verùm hoc textu sermo est de Abbatibus & similibus prælati Episcopo inferioribus, quibus indultu solennis benedictionis privilegium, cum ad Ordinis ac dignitatis Episcopalis diminutionem tendat, strictam exposcit interpre-

interpretationem, *arg. Reg. Oria 15. in 6. Franc. in c. cit. n. 2. & Pirrhing ad Rubric. de Privileg. n. 111.*

Quare alii hanc in re distinguunt inter actus Pontificales, admixtam habentes jurisdictionem, ut sunt chrismatio baptizatorum, clericorum Ordinatio & degradatio, consecrationes & benedictiones, quæ cum sacra Chrismatis unctione peraguntur: & celebrationem Missarum & Populi benedictionem solennem Verbi divini prædicationem & similes actus, jurisdictionem admixtam non habentes; ex his enim actibus, sicut priorum exercitium Episcopo in aliena diœcesi sine istius Ordinarii licentia à Doctoribus & sacre illius Synodi PP. *cap. 5. cit.* denegatur, sic posteriores ipsi permisos cum Hostiensis *in c. fin. cit. V. Aliena* censent. Covarruv. *Lib. 3. var. cap. 20. n. 9. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 27. n. 64.* & alii, eâ persuasi ratione; quòd, Missam celebrare in Pontificalibus, sacrificandi modus Episcopis proprius & Ordinis potiùs ac dignitatis quàm jurisdictionis Episcopalis actus, Piafecius *p. 1. Prax. Episc. cap. 3. n. 4.* atque idcirco Episcopis permiffus sit in Ecclesiis suæ diœcesis à sua jurisdictione exemptis; solennis autem benedictio celebrationi Episcopali accessoria, ad eamque accessorius sit actus.

Neque quoad hujusmodi actuum exercitium Episcopo adversatur Primò paritas cum usu Pallii; quia iste ex forma traditionis, sicut non omnibus diebus, sed eâ expressis festivitibus, sic in propria duntaxat Provinciæ vel diœcesis Ecclesiis locum habet; ut seclusò privilegiò in provincia vel diœcesi aliena etiam istius Metropolitanò vel Episcopo consentiente ipsi non sit permiffus, per tradita *Tit. 5. n. 8.*

Neque secundò S. Concilii decretum; quia cum Fagnano *in c. fin. cit. n.*

9. exaudiendum est de exercitio actuum Pontificalium admixtam habentium jurisdictionem, ut Confirmatio, Ordinatio, degradatio &c. non etiam solennis Missæ celebratio & populi benedictio sunt, pro ut non obscure insinuat *cap. 5. cit. verbis, In personas eidem Ordinario subiectas, & sic Ordinari ab executione Ordinum sint ipso Jure suspensi.*

Neque tertio ratio; quia Episcopalem jurisdictionem non omnes, & si factem actus non denotant, quorum exercitium Episcopo in suæ diœcesis Ecclesiis exemptis, istarum prælatis invitis, ut celebratio in Pontificalibus & solennis populi benedictio, est permiffum. His tamen non obstantibus contraria Consuetudo, ubi viget, observanda est. *in c. 5. cit.* prohibitionem interpretandi sive porrigendò Pontificales actus indiscriminatim omnes comprehendat.

Inter actus Pontificales notabile discrimen est; quòd eorum quidam simpliciter Sacerdotibus committi etiam à solennitate postolica, ut v.g. Ordinis sacerdotalis collatio, non possint: vel, ut collatio sacrorum Ordinum reliquorum, Chrismatio &c. non soleant, nisi ex gratia & collatione specialis: alii verò, ut primæ Tonsuræ, aliorum Ordinum collatio, solennis populi benedictio, consecratio vultus sacrorum, corporaliùm & paramentorum benedictio &c. sacerdotibus inferioribus ratione alicujus dignitatis vel potestatis modum privilegii committi à seculo soleant, Laiman *in c. 1. n. 6. Necnon* &c. committi ab Episcopis non possunt. *can. Quamvis 4. dist. 68. c. Apud 1. de Consec. Eccles.* quòd textu Ecclesiæ potestatis reconciliationem simpliciter facere committendi facultas Episcopo datur, & rationis locò inter actus Ordinis & jurisdictionis Episcopalis statuitur discrimen; quòd inferioris Ordinis factus

dotibus ab Episcopo hi, non etiam illi valeant demandari, *Gloss. in c. cit. V. Jurisdictionis, Hostiens. V. Ordinis & Pirrhing ad Rubr. cit. n. 20.* Ubi

Dubium est, quibus sacerdotibus simplicibus Pontificaliū insignia & usus à sede Apostolica soleat committi, *Committi*, inquam, & *privilegiū concedi*; quia communi jure eorum usus ulli concessus non reperitur. Imò eum non concessum, clarè constat ex *c. Ut Apostolica 6. de Privileg. in 6.* cujus *pr. sedis Apostolicæ benignitate nonnullis Abbatibus aliisque prælatis*, quibus ex propria dignitate non competit, concedi asseritur, quòd mitrâ & aliis Pontificalibus uti possint. Excipienda tamen est primæ Tonsturæ & Ordinis Lectoratûs collatio: quam, ac proinde etiam quam Lectoratus præsupponit, Oltiariatûs collationem Abbatibus aliisque prælatis Regularibus ab Episcopo benedictis olim fuisse permittâ, liquet ex *can. 1. dist. 69. Sc. Cum contingat 11. de Etat. & qualit.* ut notant Laiman in *c. 1. cit. n. 13.* & Pirrhing ad *Rubricam seq. n. 41.*

8. Privilegiò autem Pontificalium insignia & usum habent plerique Abbates ac Præpositi Regularium non Mendicantium, tam Monachorum quàm Canonico-regularium: quibus ad suam dignitatem honoris illius decore exornandam concedi consuevit, *cit. Tamburin. disp. 20. q. 1. n. 2.* Iisdem ex privilegio utuntur permulti Præpositi & similes Prælati seculares: quorum tamen, & Regularium etiam Prælatorum, non omnes omnibus insignibus utuntur, neque omnium actuum Pontificalium exercitium habent; cum quidam Mitratî sive Infultati non sint, baculum tamen gerant: alii contrâ mitram gerant in capite, manibus tamen non ferant baculum seu Pedum Pastoralè: quòd constituti quidem sint

in dignitate, jurisdictione tamen destituantur, *Tamburin. q. cit. n. 25.* Ut proinde quibus Pontificalibus insignis uti, & quos ejusmodi actus exercere singuli valeant, ex verbis, ac tenore privilegiorum ipsi indultorum, aut horum aliquando obtentorum constante fama & traditione desumendum, rectè moneat Laiman de *Elect. Prælat. q. 223.*

Porro ex actibus Pontificalibus, Prælatis Ordine Episcopali inferioribus, præter primæ Tonsturæ & minorum Ordinum collationem frequentius committi solent,

Primò benedictio populi publica & solennis; est enim benedictio populi publica alia Simplex, quæ ab omnibus sacerdotibus fieri post Missam solet, saltem non præsentè Episcopo: nisi hic annuat & benedicendi det facultatem, *Glossa in can. Ecce 6. V. Benedicere dist. 95.* & Sylvester *V. Benedictio n. 1.* alia Solennis, quæ in Missâ & divinorum officiorum sine fieri solet præmissa, *Adjuvatorum nostrum in nomine Domini, &c. Sit nomen Domini benedictum*: quæ, licet vi suæ Consecrationis solis competat Episcopis, *Glossa in c. Abbates 3. V. si Abbas de Privileg. in 6.* Sylvester *V. cit. pr. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 72. n. 63. & 66.* Privilegiò tamen Abbatibus & aliis, non tamen omnibus, Prælatis ita concedi solet; ut professis quidem ac novitiis suis sub solennium Missarum & Divinorum Officiorum finem: & in Ecclesiis pleno jure, id est, quoad temporalia & spiritualia sibi subiectis, *Glossa in c. Abbates cit. V. Pleno jure*, toti populo solennem benedictionem impertire valeant: id tamen nequeant extra Ecclesias suas publicè & per vias, civitates, castella, villas: nisi hoc etiam privilegiò expressum & concessum esset, textus & *Glossa c. cit. Sylvester V. Abbas n. 2.* & *Barbosa alleg. cit. n. 63.*

F f 3

Quin po.

10. Quin populo solenniter benedicendi facultatem etiam Consuetudine acquiri ab inferioribus posse: & in Ecclesia Parisiensi presbyteros quoque Parochiales post Missarum celebrationem iisdem omnino verbis, quibus Episcopi, triplicique signatione (quod in SS. Corporis Christi festivitibus & has consequente festivo tempore istarum partium parochi solent) benedictionem populo impertiri: & demum in Ecclesia Græca inter Episcoporum & Sacerdotum benedictionem solennem nullum discrimen esse, ex Haberto in *Pontif. cit. Eccles. ad p. 11.* eruditè advertit Pignatell. *Tom. 10. consult. 117. n. 62.*

11. Secundò, consecratio sacri calicis patenæ, pixidis & aliorum ejusmodi vasorum, quæ sacri Chrismatis exigunt unctionem: quam Abbatibus & cæteris Prælatibus Regularibus, jurisdictionem quasi-Episcopalem in subditos suos obtinentibus, ex privilegio ferè competere, observant *cit. Tamburin. disp. 23. q. 1. § 2. & Laiman in c. 1. cit. n. 7.* quibus locis quibusdam ejusmodi Abbatibus etiam campanas consecrandi facultatem adstruunt.

12. Tertio, benedictio sacrarum vestium & altaris paramentorum, uti & palliarum & corporalium, permessa omnibus Prælatibus Pontificalia exercentibus, Sylvester V. benedictio *num. 5. & cit. Tamburin. disp. 22. à q. 1.* & ex privilegio etiam competens prælatibus sive superioribus Ordinibus Mendicantium: quamvis insignia Pontificalia non gerant, nec soleant benedici, Rodriquez *Tom. 1. Regular. q. 19. art. 2. & Laiman l. cit. n. 10.*

13. Quarto, consecratio & benedictio Altarium, tam fixorum quam mobilium sive portatiliū: quæ speciali privilegio ab Innocentio VIII. concessa est Abbatibus Cisterciensibus & à Pio V. Congre-

gationi Cassinensi 6. Junii 1565. Quin Sacerdotibus etiam Ordinum FF. Minorum S. Francisci & Societatis JESU in partibus Indiarum calices ac patenas proprio & aliorum usu consecrandi privilegium indultum est à Paulo III. die 15. Calend. Novemb. 1549. *cit. Rodriquez q. 8. art. 2. & Tamburin. disp. 22. q. 4. n. 3.* Quantumvis vasa sacra aliæque Chrismatis unctionem exigentia consecrandi privilegia, prælatibus non Episcopis indulta, extra proprias Ecclesias plerumque non extendantur, ut ex Alvinio de *Potest. Episc. cap. 10. n. 13. cit. Laiman n. 10. observat.*

Quintò, benedictio monialium speciali commissione & privilegio quædamque conceditur Abbatibus, obtinentibus in eas jurisdictionem quasi-Episcopalem, Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 22. q. 6. n. 2.* Unde

Dubium nascitur, an relatos aliosque actus Pontificales exercendi jus simplicibus Sacerdotibus competere valeat vi Consuetudinis; ista enim, saltem si immemorialis sit, id his competere posse, suadet hujusmodi Consuetudinis æquiparatio cum privilegio Apostolico, ex certa scientia concessio, *can. Conquestum junctâ Glosâ V. Consuetudo 3. q. 9. c. Superat. v. Memoria junctâ Glosâ V. eodem de V. § & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. De aqua quælibet.*

Nihilominus certum est, nullâ Consuetudine sacerdoti non Episcopo competere non posse exercitium actuum, ut consecrationis suæ Episcopis competitum Jure Divino, ut sunt consecratio Episcopi, Ordinatio sacerdotis; cum quia tales simplici sacerdoti competere nequeunt ullò etiam Apostolico privilegio vel delegatione: tum verò, quia divino Jure derogandi vis consuetudini collata non est Divinâ, & humanâ autoritate conferri non potest *c. fin. de Consuet. & can. Inferior*

Inferior 4. dist. 21. Azor p. 1. Instit. Lib. 5. cap. 17. q. 3.

16. Inter alios verò actus Pontificales DD. agnoscunt discrimen, & Primò quidem Ordinum minorum & primæ etiam Tonfuræ collationem, consecrationes & benedictiones, quæ cum sacra unctione Chrismatis peraguntur, ut sunt calicis, patenæ & aliorum sacrorum vasorum consecratio, reconciliatio Ecclesiarum, consecrationes Virginum &c. merà etiam immemoriali consuetudine acquiri posse, negant; quòd tali consuetudini resistat praxis ac traditio Ecclesiæ, huiusmodi Ordinis Episcopalis actus inferioribus non nisi ex delegatione vel privilegio permittentis: & huic quoad eos consuetudinem ac præscriptionem immemorialè non æquiparantis, Sylvester *V. Benedictio n. 5.* Alvinus *cit. cap. 21. n. 12.* Azor *p. 1. cit. lib. 10. cap. 28. q. 2.* & Tamburin. *cit. disp. 23. q. 1. § 2. Me-*
17. *74.* inquam; quia, si consuetudo à summo Pontifice sciente & non contradicente tacitè approbata, vel privilegii aliquando obtenti constante famâ suffulta eslet, ejusmodi Pontificales actus exercendi jus etiam ipsa conferret; ut si v.g. alicujus Ecclesiæ vel monasterii prælati ejusmodi actus vi constantis famæ privilegii, aliquando ab antecessoribus obtenti, tanto tempore, cujus initii memoria non existit, exercuissent, eorum exercitium prosequi possent, quantumvis privilegium nequeat exhiberi; quòd cum immemorialis temporis cursu concurrens ejusmodi fama de privilegio Apostolico aliquando obtento justî tituli, sive ejusmodi privilegii antecedentis fundet præsumptionem, Laiman *in c. 1. cit. n. 8.* quæ tamen præsumptio cum Juris duntaxat, non etiam de Jure fit, admittit probationem in contrarium, & compertæ veritati cedere, si privilegium super dictorum Pon-

tificalium usu nunquam obtentum aut invalidum fuisse, constaret aut legitime probaretur, juxta dicta *Tit. 4. an. 54.*

Secundò, vestimenta sacra & paramenta, imò etiam pallas & corporalia benedicendi & similes actus, sacram Chrismatis unctionem non exigentes, exercendi facultatem à prælato in dignitate constituto acquiri posse Consuetudine immemoriali, cum Glossa *in c. Abbates cit. V. Tonfuram* concedunt *citt.* Sylvester Alvinus *n. 13.* & Tamburin. *disp. 23. q. 1.* quòd consuetudini eorum exercitium conferenti neque Jus neque Ecclesiæ traditio resistat; quantumvis enim *can. Consulto 15. de Consec. dist. 1.* Corporale ab Episcopo consecrandum asseratur; idque non ita facile, ut cætera paramenta, benedicendi facultas Sacerdotibus non Episcopis privilegio Apostolico concedatur, ex Consuetudine tamen hac in re Juri communi prævalente prælati, qui Pontificalia exercent, omnes eà utuntur.

Ceterùm ut Abbates iisque similes Prælati Regulares Pontificales actus, privilegii vel consuetudinis legitime præscriptæ vigore sibi competentes, exercere valeant, eis non solum dignitatem suam electionis confirmatione vel provisione alia stabilitam: sed Ordinem quoque sacerdotale & benedictionem Episcopalem Deprecatoria manuum impositione esse collatam, est necesse *c. Cum contingat 11. de Etat. Squalit. S. Thomas 22. q. 100. art. 1.* de qua actum est *Tit. 6. an. 333.*

Excipiendus tamen est casus, quòd Episcopus, cum humilitate ac devotione tertio requisitus, electum & confirmatum Cisterciensis Ordinis Abbatem benedicere sine causa renuit; tali enim casu is, non accepta benedictione, monachos suos benedicere, Ordines minores ipsis conferre & omnia, quæ sui muneris sunt, liberè exercere valet, donec Episcopus benedi-

benedictionem ipsi impertiri non recuset: quod rei æquitate, Religionis atque Abbatialis dignitatis favore, Alexander III. c. 1. relatus constituit, antequam Cisterciensium toto Orbe celeberrimus Ordo ab Ordinariorum jurisdictione eximeretur, ejusque Abbates & Abbatissæ à quocunque Episcopo, imò Episcopali benedictione non requisita ab Ordinis sui Abbate generali, aut Vicariis, ab eo per provincias deputatis, benedici possent, ex concessione Innocentii VIII. die 9. April. 1489. & Clementis VIII. die 24. Julii 1559. Tamburin. *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 11. q. 11. n. 2.* & Alviest Murenul. *sect. 3. cap. 5. n. 1.*

Neque obstat; quòd benedictio dari non posse videatur ab eo, qui illà caret, *can. Quomodo 41. pr. dist. 4. de Consec. 6. Quòd autem 5. in fine de Jure Patron.* quia Abbates c. 1. *cit.* casu pro benedictis habentur ex dispositione Juris Ecclesiastici: à quo, sicut Abbatum benedictio introducta est, sic ejusmodi denegationis casu suppleri potest, præsertim cum minores Ordines conferendi &c. potestatem simpliciter sacerdoti delegari à Papa posse, communis DD. sensus & assertio sit, Suarez *de Sacrament. disp. 11. s. 3.* & Barbosa *Juris Eccles. Lib. 1. cap. 11. n. 51.* Quia in re tamen pro c. 1. *cit.* declaratione tria notare juvat.

Primum est, privilegium eò concessum locum habere in aliorum etiam Ordinum Abbatibus, qui benedici ab Episcopis solent; quia Papa, licet Cisterciensibus rescripserit, non tamen expressit, à se privilegium uni ipsorum Ordini specialiter indultum: sed generaliter statuit, quid spectatà rei æquitate ac necessitate ab Abbatibus fieri queat; ne Abbatialis muneris exercitium cum monasteriorum & rerum præsertim spiritualium detrimento intermittere cogantur, *arg. c. Ni-*

bil 44. in fine de Elect. Glossa in c. Clem. contingat cit. V. Abbate, cit. Azor Lib. 1. cap. 20. q. 6. Lainan in c. 1. cit. n. 1. & Barbosa n. 4.

Alterum, disto privilegio locum non esse casu, quò Episcopus benedictionem denegat, allegatà rationabili causà; quia c. *cit.* textus agit de casu, benedictionis ab Episcopo denegatæ ex duritie, ulla rationabili causà non allegata, Innocent. *in c. cit. n. 1.* & Panormit. *n. 2.*

Postremum, casu, quò Episcopus debitor modò requisitus benedictionem ad primam petitionem expressè negaret, necessariam non fore illius petitionem iteratam, *arg. c. Venerabilibus 7. §. Item de V. secus autem de Sent. Excom. in 6. ubi dicitur, reum citatum, si aperte ostendat, se non compariturum, iterum citandum non esse; quòd ejus contumacia sit manifesta, Panormit. cit. n. 2.*

Simili modò, si Episcopi dixerint, à Mendicantium Ordinum Religiosis, et suorum monasteriorum altaria condecorant, ter humiliter rogati id facere nonnuant, pro altarium suorum consecratione ad alios Antifites Catholicos recurre possunt, ex concessione Sixti V. *cit. Rodriguez q. 28. art. 1. & Miranda Tom. 2. Manual. Pralat. q. 39. art. 1. conclus. 3.* cui simillimò privilegio Societas JESU pro benedictione vel consecratione Ecclesiarum suarum cum cæmeteriis & parvis lapidis positione, si ab Episcopo christiano, humiliter requisitò, ultra quatuor menses differatur, à quocunque Episcopo Catholico eam petere permittit à Paulo III. 1549. *Compend. ejus Privileg. V. Ecclesia §. 2.*

Sicut Episcopo recusante, sic eò absente & diu non redituro, actuum Pontificalium usum, Episcopali benedictione nondum recepta, Abbatibus permittitur, *arg. c. 1.*

arg. c. Nihil cit. in fine censet Laiman de *Elect. Pralat. q. 210. in fine.*

22. Quin in quibusdam locis, ut in Hispania, ex privilegio Apostolico vel istius aliquando obtenti constante famâ suffulta consuetudine, Abbates benedictionem Episcopalem non recipiunt, & sine ea exercent actus Ordinis, dignitati suæ concessos, apud Tuschum *V. Abbas conclus. 8. n. 3. cit. Rodriguez q. 18. art. 2. & Laiman in c. 1. cit. n. 3.*

Neque his, ut primò occursum videntur, obstat; quòd Episcopus, licet Sacerdos, ante acceptam consecrationem exercere nequeat actus Ordinis Episcopalis, ut sunt conferre sacros Ordines, Chrisma conficere, confirmare: imò etiam conferre Ordines minores, populum solenniter & sacra vasa, campanas &c. cum Chrismatis unctione benedicere; quia collatio Ordinis sacerdotalis Episcopalis Ordinis actus est Jure Divino: cui ulla consuetudo, privilegium & concessio humana nequit prævalere. Cæteri autem Ordinis Episcopalis actus, licet ante consecrationem suam Episcopo certis casibus permitti absolute potuissent, ei tamen aliquando concessos ulla Ecclesiæ concessione vel traditione non constat; ut proinde quoad hos etiam actus consecratio Episcopis ex Ecclesiæ voluntate magis necessaria sit, quam Abbatibus benedictio Episcopalis, Laiman *in c. cit. n. 3.*

ARTICULUS. II.

De eadem supplenda in collatione beneficiorum.

SUMMARIUM.

23. Beneficia in tempore non collata devoluntur,

24. Ad electoribus ad proximum superiorem:

25. Si Ecclesia exempta aut indignus electus sit, ad Papam.

26. A patrono devolutio ad instituentem:

27. A collatore inferiore ad Episcopum, et ab isto ad Capitulum sit:

28. Nisi collatio Episcopo competat jure speciali.

29. Capitulum confert beneficia devoluta sede vacante.

30. Ab Episcopo simul & Capitulo devolutio sit ad Metropolitanum:

31. Nisi ille cum Capitulo jus obtineat, quæ privatus.

32. Devolutio non fit à legitime impeditis,

33. Vacationem ignorantibus, et non habentibus ejus notitiam certam,

34. Et, si ea Episcopi translatione induta sit, à Papa acceptam.

35. A negligente post devolutionem facta collatio irrita est.

36. Beneficia devoluntur cum suis qualitatibus,

37. Et tempore, competente inferioribus:

38. Ad quos beneficium invalide collatum redit.

Nihil magis damnosum Ecclesiis ac monasteriis & animabus ^{23.} periculosum esse solet, quam illorum & cæterorum beneficiorum Ecclesiasticorum diuturna vacatio, *c. Quamvis 6. pr. de Elect. in 6.* quæ proinde ut justò longiori tempore non perduret, sanctionibus Canonicis salubriter constitutum est; ut si, legitimo impedimento cessante, ecclesiis vel beneficiis vacantibus de prælatis ac beneficiatis omnino non, vel de indignis & inhabilibus pro-

G g

bus provideatur, illa fiant caduca: & providendi jus, pro ea vice ab inferioribus amissum, ad proximos & immediatos, ab his negligentibus ad mediatos superiores gradatim, & tandem ad ipsum summum Pontificem devolvatur, *c. Licet 3. Sc. hinc & c. Nulla 2. de Concess. preb.* Rebuffus *Prax. Benef. Tit. de Devolut. n. 25.* Valenl. *de Benefic. lib. 2. tit. 20. n. 3.* & Pirrhing *ad Rubric. de Concess. preb. n. 34.*

Fieri autem hæc ad superiorem devolutio solet diversimodè, pro diversitate Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum, *ad Rubric. de Preb. & dignit. à n. 8.* statuenda.

24. Et primò quidem, si beneficium sit Electivum, & electio ad Cathedralē vel Regularē intra tres, & ad Secularē Ecclesiā intra sex menses, cessante legitimò impedimentò, non fiat, prælatum eligendi potestas à Capitulo Ecclesiæ non exemptæ, si hæc Cathedralis, ad Archiepiscopum: si autem inferior Secularis aut Regularis sit, ad Episcopum immediatè devolvetur, ex dispositione Concilii Lateranensis, *c. Ne pro defectu 41. de Elect. relati:* cui, ut primò intuitu videri queat, hodie non adversatur decisio *c. Cum dilectus 12. de Concess. preb.* quā in Cathedralibus devolutio ad Archiepiscopum fieri diserte negatur; quia, licet antiquiori hóc Jure & tempore Alexandri III. sub laudati Concilii initium id obtinuerit, & devolutio immediatè facta sit ad Papam, cum tempore tamen & generali illo Concilio necdum finito ab Innocentio III. aliud, & ut propter negligentiam devolutio, sicut in inferioribus, sic in Cathedralibus quoque Ecclesiis ad proximum superiorem fieret, statutum est *c. Ne pro defectu cit.* ut ibi cum Glossa *V. Devolvatur* observant Laiman *n. 6.* & Gonzalez *num. 12.*

25. Si Ecclesia, ut in Germania nostra

Cathedralis pleræque, quoad hoc exempta & sedi Apostolicæ immediatè subiecta sit, ei de prælato providendi potestas statim devolvitur ad Papam, *c. Sicut cit. Licet 3. hinc & c. Cum singula 32. in fine de Preb. & dignit. in 6. Vallens. l. cit. n. 7.* ad quem etiam ejusmodi Ecclesiæ providendi jus pervenit casu, quò ad Ecclesiā Cathedralē, etiam non exemptam, scienter eligitur indignus: uti & si electores omnes propter non servatam formam à Concilio Lateranensi *c. Quia propter 42. de Elect.* præscriptam, eligendi facultate per sententiam priventur, *Quamquam 18. eadem Rubr. in 6. Vivianus in c. cit. & ibi Barbosa n. 1.*

Secundò, si beneficium sit Patronatum, & patronus laicus intra quatuordecim menses, & clericus intra sex menses, legitimò impedimentò cessante, ad id neminem præsentet ei, ad quem institutio spectat, ad hunc, sive Episcopus sive alius sit, beneficii devolutio fiet, ut id liberè valeat conferre, *c. Quonia 3. Sc. Cum propter 27. de Jure patronat.* Glossa in *Clement. unic. V. Dispositionem hinc*, ubi Panor. *n. 3.* & Rochus de Curte *de Jure patronat. V. Honorificum q. 33.*

Tertiò, si beneficium sit Collatum, sive liberum, ejusque collatio à prælato aliòve collatore Episcopo inferiore etque subiecto ultra sex menses differatur, collati conferendi jus ad Episcopum loci, in quo beneficium est situm, devolvetur, *Clem. cit. Rebuffus de Devolut. n. 25. & cit. Vallens. n. 10.*

Ad eundem Episcopum, non quidem tanquam ad Ordinarium, sed tanquam ad sedis Apostolicæ delegatum devolutio fit à prælatis Regularibus exemptis, beneficia conferre negligentibus per semestrem, *Clement. cit.* Nisi ipsum etiam beneficium sit exemptum; talis enim devolutio immediatè fit ad Papam, *Barbosa*

- in c. Nulla cit. n. 7. & Laiman de Elect. Prælat. q. 98. allegans Glossam in Clem. cit. V. Sua: quæ tamen ejusmodi beneficia non exempta propriâ, exempta verò Apostolicâ autoritate ab eo conferri posse: neque ista immediatè ad Papam devolui, censet, ut hic Pirrhing n. 7. in fine observat.
28. Si beneficii collatio jure propriò ad Episcopum solum, vel ad solum Capitulum pertineat, alterò eorum negligente jus conferendi ad alterum, hoc est, à Capitulo ad Episcopum, vel ab isto ad Capitulum, licet hoc Episcopo inferius sit: & utroque negligente primùm ad Archiepiscopum: aut, si beneficium exemptum sit, immediatè ad Papam devoluetur, c. Nulla cit. & c. fin. hic. Quod de Episcopo & Capitulo statuendi ratio fuit magna communio, quæ inter illù & hoc, tanquam caput & membra ejusdem corporis, intercedit; ut meritò unius defectus per alterum suppleatur, Panormit. in c. Nulla cit. n. 6. & 8. cit. Vallenf. n. 11. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 126. n. 75.
29. Jure, inquam, propriò; quia, si collatio Episcopo competeret jure speciali, vg. ex delegatione, privilegio vel devolutione, ipsò negligente conferendi jus non ad Capitulum sed ad Metropolitanum devolueretur, cit. Panorm. Vallenf. & Barbosa n. 7. quòd ad hujusmodi beneficia dicta communio non extendatur. Unde
30. Dubium & non satis expeditæ resolutionis controversia oritur, an à Capitulo conferri valeant beneficia, propter inferiorum collatorum negligentiam, ad Episcopum tanquam diocesis Ordinarium devoluta sede Episcopali vacante. Id enim cum Panormit. in c. Cum olim 14. de Majorit. n. 2. & Rebuffo l. cit. n. 93. negant Garcias p. 5. de Benefic. cap. 7. n. 57. cit. Vallenf. n. 13. Barbosa n. 70. & Zoënius ad Rubric. Ne sede vac. n. 3.

illorum collationes futuro Episcopo reservandas, docentes partim; quòd c. Illa 2. Ne sede vac. collatio beneficiorum Capitulo sede vacante generaliter negetur, præterquam in casibus Jure expressis: devoluta autem conferendi potestatem, dum sedes vacat, Capitulo competere ullo Jure expressum non sit: partim verò; quòd ejusmodi beneficiorum, perinde ut aliorum, collatio dignitatis Episcopalis quasi fructus, Glossa in c. Cum olim cit. V. Capitulo, & donatio merèque liberalis concessio sit, c. Unico V. Porro Ut benef. sine diminut. fructus autem reservari debeant successorì, c. Cum vos 4. de Offic. Ordin. & Clement. Satutum 7. de Elect. & donatio merèque liberalis concessio, rerum alienarum administrationem gerenti permittitur non sit, c. fin. de Offic. Vicar. in 6.

Verùm, licet Negativa hæc sententia de rigore Juris verisimilior, æquior tamen & satis probabilis est Affirmativa, quam cum Joan. Andr. in c. Quamquam cit. & Lambertino de Jure patronat. lib. 2. p. 3. q. 2. art. 8. n. 6. amplexi sunt Molina Tract. 5. de J. & J. disp. 11. n. 12. Zerola Prax. Episc. p. 1. V. Capitulum §. 5. & Zypæus Analys. Jur. Pontif. hac Rubr. n. 7. eâ præcipuè persuasi ratione; quòd beneficii devoluti collatio esse videatur actus jurisdictionis necessariæ: cujusmodi actus sede vacante Capitulo permittuntur, arg. c. Cum olim cit. & à Vallenf. cit. lib. 1. cap. 10. n. 1. esse non malè censentur omnes collationes, quæ alicui ex quacunque causa debentur, vel sine Ecclesiarum damno & animarum periculo differri non possunt. Unde beneficiorum sede vacante devolutorum collationes Capitulo idem Author adstruit ad Rubr. Ne sede vac. n. 4. Accedit; quòd ejusmodi beneficii collationes non sint proprii fructus Episcopatus, eique adveniant per accidens,

cidens, non tam in favorem Episcopi, quam in bonum Ecclesiarum & animarū.

Neque cum his pugnant *Regula 2. Cancell. & Constitutio Pii V.* quæ incipit *Sanctissimus edita die 9. Martii 1568.* quibus beneficia vacantia sede vacante, ac proinde eò tempore devoluta, reservantur Papæ; quia *Regula illa non ligat Germaniam, propter istius Concordata §. Item placet nobis;* in qua probabilius etiam *Piana illa &* si quæ aliæ sunt hac de re post illam editæ *Constitutiones, ex obligatione non observantur, quatenus privilegii per Concordata concessis videntur derogare, partim; quia lege generali non tolluntur particularia statuta & privilegia, nisi id exprimat, c. 1. de Constitut. in 6. partim verò; quia Nicolaus V. relatorum Concordatorum §. De cæteris disertè promissit, quòd collationes Ordinariorum, extra casus expressos, ullà reservatione dispositione Apostolicà auctoritate facta aut faciendâ nolit impedire: & tandem §. Sed de beneficiis addit, eam Constitutionem duraturam, donec in futuro Concilio aliud fuerit ordinatum. Unde beneficii sede vacante ad Episcopum devoluti collatio, in Germania saltem nostra, non pertinet ad Papam: sed, vel ad Capitulum, ut æquitatem secuti posterioris hujus; vel ad successorem, ut in rigorem Juris unice intenti prioris Sententiæ Assertores volunt.*

31. Demum, si collatio ad Episcopum tanquam Prælatum & ad Capitulum conjunctim pertineat: & ab utroque simul, vel ex conventionè alternativè, sive per turnum faciendâ sit, eorum unò negligente & præmonitò collatio fieri ab altero potest. Quod si intra semestre non fiat, istò lapsò devolutio immediatè ad Archiepiscopum, vel, si beneficium exemptum sit, ad Papam fiet, *c. Postulasti 15. de Concess. Prab. Garcias p. 10. cap. 3. n. 35.*

Vallens. n. 12. & Barbosa n. 77. Dixi. Tanquam Prælatum; quia, si ad ipsum tanquam canonicum spectaret, Capitulo negligente conferendi jus ad ipsum tanquam Prælatum devolveretur, *Barbosa in 6. cit. n. 3.*

Neque hujusmodi devolutionem impedit; quòd tali casu negligens sit etiam ipse: & sua negligentia à nemine suppleatur; quia, esto naturaliter loquendò tali casu, sicut alii de Capitulo sic negligens etiam fuerit ipse, nihilominus quia actus Collegii civiliter loquendò non singulis sed soli collegio imputatur, *l. 1. §. 15. ff. ad S. C. Trebell. §. Liberrus. §. Si viderè post can. Episcopus 12. q. 2. Felius in c. Omnipotens 4. de Accusat. n. 1. c. de qua agimus, negligentia non singulis Canonice, ac proinde nec Episcopo, ut Canonice, tribuitur: neque impedit, quòd minus ad ipsum devolutio fiat, *Barbosa alleg. cit. n. 72.* Aliud esset, si collatio ad ipsum quidem ut privatum seu canonicum, sed solum spectaret, cum enim talis casu ipse etiam civiliter sit, devolutio ad ipsum, etiam ut Episcopum, locus non esset, propter defectum distinctionis personarum negligentiam committentis et suppletis, ut idem *in c. Pastor alii cit. 3.* rectè observat.*

Dixi etiam suprâ, *Cessante legitime impedimentò;* quia electoribus, collatoribus, patronis (extra casum litis super jure Patronatus pendentis, *c. Quoniam 6. c. Cum propter cit.*) legitime impedimentò à Jure definitum tempus non currit, si de pœna ob negligentiam intelligenda agatur, *arg. c. Ne pro defectu cit. & c. Quia diversitatem §. de Concess. Prab. ideoque imprimis dictorum trium, quatuor, vel sex mensium tempus computandum non est à die vacationis, sed notitiæ sive cognitiæ vacationis, c. Literas 4. hic & c. Quia cit.* quòd vacationem ignorans agens

agendi non habeat facultatem, *l. Annus 6. ff. de Calumniat.* Dein, si electio, præsentatio, collatio intra præscriptum tempus facta, vel quòd electus &c. non consenserit, vel post consensum mortuus sit, vel renuntiãrit, vel propter occultum ipsius impedimentum non fortiaur effectum, electoribus, patronis, collatoribus ad novam electionem, præsentationem, collationem tempus integrum denuo indulgendum erit: dummodo nihil egerint fraudulentè, *c. Si electio 26. de Elect. in 6. cit.* Rebuffus *n. 35.* Garcias *p. 10. cap. 2. n. 17.* Barbosa *alleg. 126. n. 49.* & alii DD, relatis Gonzalez *in c. fin. n. 12.*

35. Dubium non ita pridem & quæstio mota est, an casu, quò Cathedralis Ecclesiæ vacationem per Episcopi translationem, in Curia Romana mense Januario inductam, & novum Episcopum eligendi jus ex speciali sedis Apostolicæ gratia Capitulo pro ea etiam vice stabilitum, huic ex literis & fama eodem mense innotuit: literæ autem Apostolicæ desuper expeditæ, Capitulo mense Martio primùm præsentatæ sunt, electioni à Jure præfixum trimestre ab istarum præsentatarum, vel notitiæ ex fama aut literis privatis acceptæ, die sit computandum.

Non desuerunt, qui id à mense Januario, eoque acceptæ notitiæ die computandum existimarent, eã ducti ratione; quòd ad prælati electionem à Jure indultum tempus currat omnibus legitime non impeditis, argumentò à contrario ductò ex *c. Nulla cit. & c. Quia diversitatem 5. de Concess. præb. junctâ Glosâ V. Suspensionis*: Capitulum autem Cathedralè, quò minùs electionis negotium inchoaret, impeditum esse deserit à die notitiæ acceptæ ex fama & literis privatis; cum eò die cessaverit ignorantia vacationis, quæ sola obstabat, quò minùs

negotium illud inchoare posset à die vacationis Romæ inductæ & declaratæ.

At mihi, suffragante Collegiò Juridicò totò, trimestre à literarum Apostolicarum præsentatarum die inchoandum & computandum videbatur: idque gemina ratio persuadebat.

Prima erat; quòd, ut Capitulum à processu ad actus electionem concernentes non impeditum censeatur, non sufficiat vacationis notitia qualiscunque: sed ea debeat esse vera, certa & omnino indubitata, ex doctrina Garcia *p. 10. de Benefic. cap. 2. n. 34.* Alphons. à Leon. *p. 4. de Offic. Capell. praxi 5. n. 77.* Tamburin. *Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 5. q. 7. n. 4.* & Vivian, *Lib. 7. de Jure Patron. tit. 2. n. 2.* id Rotæ decif. firmantis, eaque intimata, non à quocunque, sed ab eo, ad quem intimatio pertinet, Tamburin. *cit. n. 4.* & Donatus *Tom. 2. Prax. Regular. p. 1. tract. 3. q. 1. n. 4.* notitia autem vacationis Ecclesiæ suæ, quam ex sola fama & privatorum literis Capitulum habebat, licet fortassis vera, non tamen certa & indubitata, neque à sede Apostolica, vel ab Episcopo à sua ad aliam Ecclesiam translato, ad quem & illam intimatio pertinebat, accepta fuerit: quod confirmatur, &

36. Altera ratio est; quia in proposito casu Ecclesiæ vacatio non per obitum, sed per translationem Episcopi sedis Apostolicæ autoritate factam fuit inducta: quò modò vacante Ecclesiâ suâ ad novi Episcopi electionem procedere Capitulo, etsi maximè velle, minùs licebat ante literas Apostolicas receptas, partim; quia per translationem factam autoritate sedis Apostolicæ vacans Ecclesia etiam electiva pro ea vice supremæ illius Sedis dispositioni seu provisioni reservata erat, vigore *Extravag. Ad regimen 13. inter Com. de Præb. & dignit. & Constit.*

G g g 3

Constitu.

Constitutionis Nicolai V. quæ incipit Ad sacram super Germaniæ Concordatiæ Cæ- lend. Aprilis 1447. editæ §. Præmissorum: quâ reservatione, stante cum Episcopi electio pro ea vice Capitulo non competere, ne Apostolicæ sedis jura usurpandi & ab ea concessæ potestatis formam & limites excedendi periculo temere se exponeret, ad ullû actum electionis concernentem procedere non potuit, antequam de eligendi facultate speciali sedis Apostolicæ gratiâ sibi pro ea vice concessâ, istius literis & intimatione certum redderetur: partim verò; quia generaliter is, cui jurisdictionis, executio, vel alia potestas à Papa confertur, licet hanc sibi collatam aliunde sciat, ejus tamen usum & actuale exercitium non habet ante literarum Apostolicarum desuper expeditarum præsentationem, per ea, quæ *arg. c. Super eo 12. de Appellat. cum Joan. Andr. in c. Eam 12. de Rescript. Felino in c. cit. n. 21. & in c. fin. de Presumpt. n. 35. & aliis tradunt Salgado de Protesti, Regia p. 4. cap. 6. n. 42. & Barbosa in c. Super eo cit. n. 6.*

Rationibus his sponte sua cedit ea, quæ dubitationi præbuit occasionem.

37. Dubium hoc loco est de valore collationis factæ statim post dictos menses lapsos. Ratio dubitandi oritur ex *c. Literas cit.* quò textu collatio post facta sustinetur; quòd per celerem collationem, præsentationem, electionem postea factam mora purgari videatur, *arg. c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien. & c. fin. ibi, Celeri satisfactione, de Locato.* Sed ejusmodi collationem &c, ipso Jure nullam esse, cum Glossa *in c. Nulla cit. V. Menses & Panormit. in c. cit. n. 11.* merito defendunt *citt. Rebuffus n. 27. Barbosa à n. 54. & Gonzalez n. 14.* quòd post lapsum temporis à Jure præfixi collatores &c. privati jam sint potestate

conferendi, eligendi, præsentandi, ex ipsa dispositione Juris jam devolutâ ad superiorem, *c. Sicut & c. fin. cit.* atque idcirco subsecuta collatio, electio, præsentatio, tanquam facta à non habentibus potestatem conferendi &c. nullius sit momenti, & præsertim hac in re moram non purgari, clarè habeatur, *c. fin. cit. & receptum Juris dogma sit, ubi dies & pœna ab lege vel homine apponitur, moræ emendationem non admittit: sed die exacto pœnam statim committit, l. Ad diem 77. ff. de V. O. & l. Trajectina 23. ff. de O. & A.* quod non parum confirmat textus allegatus in contrarium, cum ait, collationem *Sustreri*, non ex Justitia sed *De patientia*, per quam multa sustinentur, quæ in judicium deducere non possunt tolerari, *c. Cum jam dicitur 11. de Prab. & dignit.* Unde, si collatio postea facta sustineatur, collatorius in beneficio jus acquirit non ab ipsa privati voluntate, sed à Patientia, tali usu habente vim novæ collationis, ut in *c. Literas cit.* cum Glossa *V. Patientia & Panormit. n. 4.* advertit Barbosa *ad.*

Pro coronide dictorum de devolutione tria notanda sunt. Primum est, hanc fieri cum omnibus qualitatibus beneficio annexis, & ab electoribus, prætronicis, collatoribus in prima præsentatione observandis; ut Ordinarius vel alius superior, ad quem devolutio fit, beneficium conferre teneatur personis iisdem qualitatibus, v.g. Nobilitatis, Doctoratus, Originis ex certa familia, civitate, præsentatione, quibus præditas præsentare, eligere, vel id conferre tenebantur ii, à quibus per negligentiam amissa eligendi &c. facultas est devoluta, ut non obicere obsumitur ex *Clement. unica & cum Felino in c. Cum accessissent, §. de Constitut. n. 18. Rebuffo l. cit. n. 4. Selva p. 1. de Benefic. q. 49. à n. 1. Laubertino de Pra-*

re Patron. lib. 2. p. 3. q. 3. art. 13. n. 2. tradunt citr. Vallenf. tit. 21. n. 1. & Barbosa n. 83. Ratio est; quia limitata potestas ad superiorem transit cum onere, arg. l. Traditio 20. ff. de Acquir. rer. dom. & superior subrogatus eodem jure censetur cum eo, cui subrogatur, l. Eum qui 3. §. 2. junctâ Glosâ V. Danda ff. Si quis causi. & c. Ecclesia junctâ Glosâ V. Successerunt, Ut lite pend.

39. Secundum, superiori, ad quem beneficium devoluitur, ad hoc conferendum tantum temporis, à devolutionis cognitâ die computandi, competere, quantum habuit is, cujus negligentia est devolutum: imò ad conferendum beneficium patronatum quodcunque, licet patronus laicus ad præsentandum quatuor duntaxat haberet, ipsi sex menses competere, cum Rocho de Curte V. Honorificum cit. n. 63. & Lambertino cit. q. 3. art. 3. docent citr. Vallenf. n. 4. & Barbosa n. 67.

40. Postremum, casu quò beneficii devoluti à superiore facta collatio propter impedimentum aliquod de Jure non subsistit, jus conferendi ad primum ejus collatorem redire, allegatò Selvâ verius censet idem Vallenf. n. 6. præterquam, si collatum fuisset à Papa; quia per appositionem manûs Papæ esset affectum; ac proinde, donec istius collatio effectum consecuta sit, ab alio conferri non potest, Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 11. à n. 11. & Cochier ad eandem Reg. Gloss. 19. n. 4.

ARTICULUS III.

De eadem supplenda in Justitiæ Administratione.

SUMMARIUM.

41. Episcopus in diocesi sua habet Ordinariam jurisdictionem:

42. Quam Archiepiscopus, neque eò captivitate vel absentia,

43. Neque censurâ per culpam contrahâ,

44. Neque amentia aliâve infirmitate impediò:

45. Sed solò casu negligentia exercet.

46. Verius etiam, negligente Episcopo, eam non exercet:

47. Extra casus Jure specialiter expressos.

Episcopo Jure communi competit 41. jurisdictio Ordinaria in omnes clericos & laicos omniâque loca Ecclesiastica, speciali jure non exempta totius diocesis, c. fin. de Foro compet. c. Licet 14. de Offic. Ord. can. Omnes basilica 16. q. 7. can. Monasteria 18. q. 2. c. Cum dilectus 6. Sc. de Relig. domib. & cognitio, discussio, definitioque omniâ causarum seu controversiarum, adversus illos deductarum in judicium seu forum Ecclesiæ externum, c. Conquerente 16. de Offic. Ordin. Sc. Cum Episcopus 7. eadem Rubr. in 6. Circa quas, quò minus justitiam illis administret, si Fidei 42. hostium captivitate, diuturnâ à diocesi absentia, perpetuò aut diuturnò tempore prohibeatur, ejus in ea administratione defectus supplendus est, non per Archiepiscopum, sed Capitulum Cathedralè: ad quod, sicut sede per obitum aut aliter vacante, c. His qua 11. Sc. Cum olim 14. de Majorit. sic Episcopò hostium captivitate detentò, in terris remotis, nullò Vicariò constitutò, absente, ejus jurisdictione transit, c. Si Episcopus 3. hic in 6. ubi Glossa V. Mortem Joan. Monach. & Anchoranus not. 2. Ratio est; quia Archiepiscopus, licet jurisdictionem suam exercere valeat in Coepiscopum sive suffraganeum non exemptum suæ provincie, can. 1. Sc. q. 3. can. Quia 6. §. fin.

§. *sim. 10. q. 3.* in ejus tamen dioccesin & subditos eam exercere nequit, præterquam in casibus jure expressis, *can. 1. cit. can. Nullus Primas, can. Conquestus 9. q. 3. & c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin. infra Tit. 31. à n. 56.* referendis: quos inter non est casus, quò Episcopus ab administratione officii sui dictis modis impeditur.

43. Simili modò Archiepiscopus non supplet defectum Episcopi, ab officii sui & Justitiæ administratione impediti propriâ culpâ, quòd v.g. excommunicationis majoris vinculo adstrictus ac vitandus sit, ex decisione Innocentii IV. *c. 1. in 6.* quòd hoc etiam jure non reperitur Archiepiscopo concessum: neque ei concedi publicè fuerit expediens; ne Coepiscopos suffraganeos suos ejusmodi censurâ ligandi ansam & illicium illi præbeat exercitium jurisdictionis, in istorum subditos cum non minori istorum damnò, quàm Episcoporum injuriâ obtinendæ, Gemin. & Vivianus *in c. 1. cit.* Quare ad hunc textum *citt. Joan. Monach. n. 2. & Anchoranus not. 2.* censent, tali casu recurrendum ad Papam tanquam communem omnium Ordinarium, *can. cuncta 9. q. 3.* & donec vel censuræ absolutio impetretur, vel Ecclesiæ aliâ ratione provideatur, ea, quæ dilationem non patiuntur, à Capitulo expedienda, *arg. c. Cum Episc. cit.*

44. Si Episcopus amentia aliâve infirmitate ad officii sui executionem ex toto vel ex parte perpetuò inhabilis sit, ab ipso cum consensu Capituli, vel si is, quid velit nolite, exprimere nequeat, ab isto solo assumendus est coadiutor; & si hunc assumere ipse quidem valeat, sed nolit, à Capitulo recurrendum est ad sedem Apostolicam, à qua vel coadiutoris adjunctio vel aliter Ecclesiæ prospiciatur, ex Constitutione Bonifacii VIII. *relata c. Unic. de Cleric. Egrot. in 6.* ad

quam Rubricam de hoc casu plenitè agitur. Hòc locò

Dubium & magni in praxi usitæ controversia est de Episcopo, ab officii quidem sui administratione non impedito: sed hanc, præsertim in justitiæ administratione, negligente; hòc enim casus subditis ejus dioccesanis adiri Archiepiscopum, & ab hoc ejus defectum suppleri, de illorum causis in prima instantia cognoscendò, posse, cum Glossa *in c. 1. cit. V. Culpis*, Anchorano *n. 1. de Franc. n. 3.* sustinet Azor *p. 2. Instit. lib. 3. cap. 34. q. 10 in fine* & viriliter propugnat Engel *ad hanc Rubr. n. 6.* Movetur propositâ Rubricâ & decisione, *c. 1. in 6.* quarum illâ, de inferioris negligentia per superiorem supplenda, Regulam generalem & istius per exempla declarationem plerisque textibus subiectis contineri ait, uti & *can. Cum simus p. q. 3.* quò œconomorum, res interiorum Ecclesiarum administrantium, constitutio Episcopò negligente, Metropolitanò permittitur. Illâ verò sive decisione, *c. 1. cit.* dum Episcopò, ob censuram culpâ contractam à Pastoralis officii executione impeditò, ejus jurisdictionem ad Archiepiscopum non devolui, asserunt, tacitè insinuari vult, illam ad hunc devolui ob negligentiam, ut *c. 1. cit. decisio à Regula illa exceptio*, ejusque locus sit, Quamvis ob negligentiam Episcopi ejus jurisdictio regulariter devolvatur ad Archiepiscopum, ad hunc tamen eam non devolui, quando is ab officii sui executione & administratione Justitiæ culpâ, sive delictò suò contractâ censurâ, impeditur. Quòd etiam intenditur ratione; quòd, cum Episcopus officium suum negligendò in ipsam jurisdictionem suam delinquat, hanc, sicut in Oeconomi constitutione, *can. Cum simus cit.* in collatione beneficiorum, &

Licet 3. hlc, in excommunicatorum ab-
solutione, *c. Ad reprimendum 8. de Of-
fic. Ordin.* in ultimarum voluntatum exe-
cutione, Panormit. *in c. cit. n. 11.* &c.
sic etiam in cæterâ officii administratio-
ne, Jure specialiter non ademptâ, & in
administratioe præsertim Justitiæ ab Ar-
chiepiscopo conveniat exerceri; ut Ec-
clesiarum & subditorum necessitatibus &
utilitatibus prospiciatur, & ex Episcopi
negligentia non accipiant detrimentum.

¶ 6. Sed Juris mentem & veritatem meli-
us assecuti sunt Panormit. *in c. Pasto-
ralis 11. de Offic. Ordin. n. 10.* Felinus
in c. cit. n. 6. Laiman *in c. 1. cit. n. 2.*
& Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 126. n.*
11. qui, Episcopo negligente, ejus juris-
dictionem ad Archiepiscopum devolui,
& hunc de illius subditorum causis cog-
noscere in prima instantia posse, negant.
Ratione unica sed solida nituntur; quod
in materia generaliter prohibitoria, id,
quod expressè non permittitur, prohi-
bitum censetur, *arg. c. Inter corpora-
lia 2. de Translat. Episc.* generaliter au-
tem prohibitoria sit, ne Archiepiscopus
in suffraganeorum suorum subditos juris-
dictionem exerceat, *can. Nullus Primas,*
can. Conquestus 9. q. 3. & c. Pastoralis 11.
cit. pr. quò textu in subditos suffraga-
neorum, exceptis quibusdam casibus, nul-
lam jurisdictionem habere asserunt: à
qua, omnino perspicua & generali Regu-
la, casus negligentis Episcopi exceptus
nulpian reperitur.

Confirmatur hæc ratio; quia *c. 1.*
cit. casu, quò Episcopus ab usu juris-
dictionis impeditur propter, culpam eaque
contractam excommunicationem, illius
ad Archiepiscopum devolutio negatur ex
ratione; quòd id non inveniatur à Jure
concessum. Cùm ergo idem expressum
non sit de negligentia, etiam propter

hanc jurisdictio ad Archiepiscopum non
devoluetur.

Neque verum est, quòd propositâ 47.
Rubricâ tradatur Regula jurisdictionis,
quando eam exercere Episcopus negligit,
Archiepiscopo generaliter firmatâ; cum
permiffa huic tantum sit casibus Jure ex-
pressis: cujusmodi sunt, appellationis
à sententia Episcopi ad ipsum interpositâ,
can. Conquestus & c. Pastoralis, negle-
ctæ constitutionis Oeconomi, collatio-
nis beneficii, & executionis ultimæ vo-
luntatis, *c. Licet c. Ad reprimendum*
cit. &c. non etiam negligentia in admi-
nistratioe jurisdictionis, Panormit. *in*
c. Pastoralis cit. n. 10. & in c. 1. cit. Ar-
chidiacon. Gemin. n. 5. & Barbosa n. 10.

Neque refert; quòd jurisdictio E-
piscopi, in ejus exercitio & administranda
subditis justitia negligentis, non devoluat-
ur ad Capitulum; cum etiam hoc ejus
defectum non suppleat, nisi in casibus
expressis, ut aliquando in collatione be-
neficiorum; quia ad ejus administratio-
nem ab Episcopo obtinendâ nihilominus
recurri ad Archiepiscopum potest; ut ab
isto ad officii sui executionem & justitiæ
administratioem compellatur per cen-
suras, *can. 1. cit. &c. 5. q. 3.* vel ad
summum Pontificem; à quo ad idem
compellatur, vel ipsi coadiutor cum ple-
næ ac liberæ administratiois potestate
detur, *arg. c. Grandi 2. in 6. c. Ex par-
te 5. de Cleric. agrot. & c. Unic. ibidem*
in 6. Laiman in c. Si Episcopus 3. in 6.
§. Notandum & Pirrhing ad hanc Rubr.
n. 12.



H h h TITU-